

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro 72. (*Neovidensis* 1805. Nro 69.)

---

*Ex Campis Elysiis*

Oratio Politica

De Chiromantia, et Craniologia.

---

Elysium -- Meum. -- Die Martis 10. Sept. 1805. (Neov. 27. Aug.)

---

#### Sententia:

De futuris contingentibus non datur determinata  
veritas. *Quæst. Philos.*

**I**n hoc optimo omnium possibilium mundo-  
rum mundo, in quo stultorum plena sunt  
omnia, inter cujus præcipuas proprietates  
stultitia refertur, semper homines tale aliquid  
quærebant, quod assequi non poterant, sem-  
per volebant futura præscire.

Hujus farinæ Philosophi sua argutia su-  
perarunt ipsos cacodæmones, affirmantes, se  
posse futura non tantum perspicere, sed præ-  
dicere etiam.

Primi erant Horoscopi, qui dicebant,  
uniuscujusque hominis felicitatem, vel infe-  
licitatem pendere a stellarum positione. Qui-  
libet hominum natus est, aiebant, sub certa  
stella, vel planeta, qui eum dirigit, & sua  
vi vel facit summum, vel imum.

Hi erant magni nominis Philosophi, Astrologi dicti, vel Horoscopi. Jam tempore Romanorum multum poterant apud pretentiores, & ipsos illius temporis Philosophos. Hoc tamen dictu mirabile, quomodo potuerint supremi Romanorum sacrificuli tam erudito populo, qualis fuit romanus, ex volatu avium futura ariolari, & quomodo deinde tanti facti sint Astrologi, quod unicuique sciverint diem & horam nativitatis horoscopare.

Multum disputatum est in utramque partem, an necessarium sit, ut singuli hominum sub positione alicujus syderis vivant; Alii affirmabant, sine tali vi hominem non esse hominem; Alii negabant, quod sydera a tellure longissime distent. Sæpe tamen, quod Astrologi prædixerunt, re ipsa evenit, hac de causa, uti historiarum monumenta testantur, Principes, & nationum capita in suis Aulis alebant Astrologos, eosque de futuris consulebant. Hoc erant Astrologi, quod olim oracula.

Astrologos exceperunt Zingari, id est peregrina, vagabunda sæx populi, quæ statim post initium sæculi 15 Germaniam, & occidentalem Europam inundavit, dicitur ex partibus orientalibus venisse, & originem ducere ex Ægypto; interim si recentioribus inventis fides habenda, ex finibus Indostaniæ ad nos demigravit. Hæ quisquiliæ hominum habebant suos Philosophos, qui artem noverunt ex lineis, ductibus, & conjunctionibus volæ cognoscendi, dijudicandi, prædicandique

fata, temperamentum, proclivitatem, & valetudinem aliorum. Fuerunt prophetae populi, & licet eorum scientia fuerit incerta, & inanis, multos tamen nacta est superstitiosos sectatores, qui eam eruditis plane dissertationibus pertractarunt. Hanc Zingaricam Philosophiam adoptarunt *Artemidorus*, *Fludus*, *Taisnerus*, *de la Chambre*, & alii plures Philologi, & Philosophi, facti omnes Chiromantæ.

Tertium genus fatidicorum Philosophorum exturbavit Zingaros, cœpit enim veterem instaurare doctrinam, qua possit ex lineamentis vultus perveniri ad notitiam interiorum hominis, ejusque affectus, ac mores rescire.

Secta Physiognomorum nimium quantum est propagata per quemdam inter eruditos celeberrimum virum: Primus erat *Lavaterus*, qui hanc doctrinam excoluit, professusque est, se hominum mores, naturasque ex corpore, oculis, fronte, ac vultu peroscere. Quade re vastum scripsit opus, contra quod si quispiam aliquid opposuit, illico ejus assecclæ pleno gutture clamabant: sic adducuntur in invidiam nova inventa; sic oppugnantur utiles veritates; sic desiderio indagandi naturæ arcana limites ponuntur, sic omnis utilissima licet scientia opprimitur, proscinditur, contemnitur.

Hic nihil profuit formare objectionem, illico ex vultu latum est de homine judicium. Publicum absque omni examine debuit subscribere, se has ineptias pro virili defensurum. Studium rerum novarum adeo occupa-

vit & caput, & animum hominum, ut nequiverit amplius opitulari sive Sassafrassa, sive Guajaca, sive Sarsaparilla. Atque hoc dicebatur felix inventio; eratne etiam? Non diu. Eandem enim paulo post subivit sortem, quam Philosophia Zingarorum, tota relegata est in antiquum incertarum opinionum promptuarium.

Cæterum cupiditas res novas captandi nondum deferbuit. Novus vates, novus animi affectionum interpretes comparet, Medicinæ Doctor Gallius prodit cum sua de cranio doctrina in medium, peregrinatur, ut ea imbuat mortales. Ille vanitati, habendi cupiditati, avaritiæ, superbiæ, malitiæ, amori, virtuti & vitio suum in cerebro assignat locum. Cranium spectari debet tanquam civitas, in qua varii animi motus sua fixere domicilia. Quæ affectio prævalet, similis est viro diviti, altius ædificium incolenti, quæ propterea contactu capitis sine difficultate cognosci potest. Hac de causa dicit accuratus rerum observator; Admitto Gallianum systema, in quantum illud qualitatibus animi in cerebro organa, & in his singularibus dotibus determinatas præscribit stationes; at nego hæc peculiaria organa semper indicari per prominentiam in superficie cerebri, & multo adhuc magis per nego, has prominentias in cranio ea unice de causa oriri, ut inde certa consecutio ad internas animi proprietates possit formari. Quapropter doctrina est vera in theoria, minime autem in praxi: Seu, ut idem aliis ex-

primam verbis: Organologia in genere subsistit, sed organoscopia est falsa.

Non licetne nobis etiam novum propheticum systema proponere? Tentarunt Astrologi, Physiognomi, Zingari, & Craniomantæ se auguribus miscere, quis prohibebit nobis?

Ea meam adumbrationem: Anaxagoras præcellentiam hominum præ aliis animalibus inde deduxit, quod usus manuum, & digitorum in corpore humano sit unicum, cui sapientia, artes, & scientiæ in acceptis referendæ sunt. Buffonius prærogativam manuum adhuc magis commendat: existimat enim hominem forte ideo tantum majore pollere ingenio, quod celeriores nactus sit manus, iisque maturis, ac alter, uti cœperit.

Helvetius in hoc genere summum attingit gradum: Affirmat, si homines absque digitis fuissent conditi, nihilo differrent ab animalibus brutis. Fingamus cogitatione homines sine digitis esse natos, quam misera foret eorum conditio! Careremus rebus, quæ manibus fieri consueverunt, uti sunt domus, naves, vestitus, libri, calami, ephemerides; imo idioma nostrum ad certa tantum animalibus propria verba restringeretur, cui enim unquam incidisset cogitare de nodo braccarum, si non fuisset factus? Idem dicendum de aliis, quibus egemus, & quibus circumdamur.

Juxta illius itaque sententiam, quod habeamus artes, scientias, quod variarum rerum cultura simus imbuti, quinque digitis cu-

mulatissima referenda est gratia. Hinc ex digitis, ex eorum mobilitate, ex forma oportet concludere, an hic vel ille, hujus, aut alterius figuræ digitis instructus, possit sibi aliam rerum notionem comparare, &, ut ego quidem existimo, hæc doctrina posset Digitologia, vel Digitoscopia compellari.

Potest Dominus Gall ex cranio virtutes, & vitia, inclinationes voluntatis, & naturæ dona divinare, non video, cur non possent digiti, quibus tamen perspicacissimi eruditi summam tribuunt prærogativam, in hoc genere magis adhuc aptam faciendis observationibus suppeditare materiam? Non possum non mirari, quid causæ sit; quod nullus hactenus in lucem prodiverit anatomix peritus, qui Digitologiam pertractavisset. Forte arripet quis hanc occasionem, & — tunc poterit etiam tanquam Digitologus peragrarè orbem.

Cæterum ad nostram spheram non pertinet in his eruditis nugis nos diutius detinere, nostrum est Politicæ invigilare; ejus cranium, physiognomiam, manus, & digitos inveni. Quo loco sunt res?

Secundum privatas litteras Parisinas, ait quidam amatus novorum scriptor, jam etiam ibi rumores de bello sparguntur; Fama fert inter Gallicum, & Austriacum imperium intra breve tempus complura fuisse scripta ultro, citroque missa, quæ de contractione militiæ Austriacæ in Tyroli, provincia Veneta, Carniolia &c. agebant, Gallicam Aulam de hæc legionum collectione esse conquestam,

& declaravisse, sibi videri hostilitatem denotare, quapropter, quidnam sibi velit tanta multitudo in medio pacis, in limitibus Regni Italiæ, petiisse determinatum & categoricum responsum. Contra Aulam Austriacam fuisse locutam de securitatis consiliis, quæ capere cogeretur; item de congregato in Italia notabili exercitu, de semper oresente Galliæ potentia &c. Exitum hujus commercii litterarum eum esse, ut spes amice componendi enatas dissensiones multum conciderit, & jam etiam in Gallia, ubi hætenus communis erat opinio, nullum futurum in continente bellum, nec esse posse, metus sit de eodem propediem erupturo. Interim plures Reipublicæ Ministri autumant, omnia, quæ hætenus acta sunt, fuisse tantum molitiones, quæ nihil gravius importabunt. — De magnis apparatus — dentis illis, qui in oris maritimis fiunt — in Gallia nil est videre; Inde a pluribus mensibus nec una legio missa est in Italiam; sed nec ullum usque ad hoc tempus datum est mandatum, ut militia Gallica sive Rheni, sive Helvetiæ limites obsideret. Neque putatur fore, tametsi omnia contrarium portendant, ut motus Austriaci, & Russici velint expeditionem in Angliam, si forte tentaretur, impedire.

Sequentia a Mœno de 25. Augusti scribuntur: In causa prioris Electoris Moguntinæ, nunc Hasso - Darmatadiensis liberi judicii contra Serenissimum Hasso-Darmstadiensem Landgravium mota, a Cæsareo Imperii Germanici judicio camerali ad contrariam Hasso-

Darmstadiensem repræsentationem sequens lata est sententia: *Decretum*. Denegatur petitum; sed omnia maneant in statu, quemadmodum 2. hujus per Mandatum S. C. determinatum est, ut sine mora removeatur militaris executio, & ut cuncta secundum Mandatum protectorium 9 hujus editum fiant, tam ratione non præstitæ debitæ obedientiæ, quam non acceptati Cæsarei mandati, & in despectum jurisdictionis Cæsareæ factæ expulsionis ex civitate per Politicæ famulum nunciî Cameræ. Porro autem suo tempore post acceptam relationem in causa principali decidetur, quod juris est. *In Concilio 21. Augusti 1805.*

*Resolutio Problematis Nro 54. propositi.*

Cum numeri quadratas simul, & cubicas debeant habere radices, sit major numerus =  $x^6$ , adeoque minor =  $(9 - \sqrt{x^6})^2 = (9 - x^3)^2 = 81 - 18x^3 + x^6$ . Hic nascuntur æquationes:  $\sqrt[3]{(81 - 18x^3 + x^6)} + \sqrt{x^6} = 5$ ; vel  $\sqrt[3]{81 - 18x^3 + x^6} = 5 - x^2$ . Eleventur hæc ad tertiam potentiam, erit  $2x^6 - 15x^4 - 18x^3 + 75x^2 - 44 = 0$ . Hinc prodit  $x = 1$ , &  $x = 2$ . Assumamus  $x = 1$ , erit major numerus = 1, & minor =  $(9 - 1)^2 = 64$ , quod quia contradictorium est, sumatur  $x = 2$ , adeoque  $x^6 = 64 =$  majori numero, &  $(9 - 2^3)^2 = (9 - 8)^2 = 1 =$  minori numero.

*Isacus Schuster,*

Francofurtensis Tabellarii filius.

Hoc problema accurate resolverunt: Stryensis Benedictus Losy de Losenau. Monachiensis F. Rivet. Francofurtensis E. S. Offenbachensis G. H. Ehler, & Eisenerzensis de Bergs.